Kerónski Michaëlis Stanisl. Sementis foecundissimae Jagellonicae manipuli.

SEMENTIS

Fæcundissimi Iagelonici Manipuli,

A SEX

VV. DD. PRIMÆ LAVREÆ CANDIDATIS

IN

Laureato Virtutis & Eruditionis Campo,

Calendis Octobris

SPARSA.

Atq; dùm ijdem

In Alma Vniversitate Cracoviensi

PER

Clarissimum & Admodùm Reverendum Dominum

D. M. MARTINVM BIELECKI

Philosophiæ Doctorem & Professorem,

Collegam Minorem, Canonicum Tarnoviensem,

Contubernij Iageloniani Seniorem,

Artium & Philosophiæ Baccalaurei

RITV SOLENNI

In Frequentissima Magnorum & Illustrium

Hospitum Totiusq; Senatûs Academici Corona.

RENVNTIARENTVR,

A

MICHAELE STANISLAO RERONSKI.

Ejusdem Laureæ Candidato,

Applausu Gratulatorio, Luci publicæ

EXPOSITA.

Anno Quo Frumentum Electorum, è Sancta Fæcundissimæ Virginitatis Terra ortum est. 1692.

CRACOVIÆ Typ: Nicolai Alexandri Schedel S. R. M. Ord: Typ.

IN STEMMA
Inclyti Senatûs Vrbis Metropolitanæ




Nobilior centum Thebarum Cracia portis,
Porta Triumphalis, TVRRIBVS Alma nitet.
Hic secura manent Magnorum munera Regum,
Hicq; tenet Regni pignora, tuta salus.
Ergo Iagelonis nitidum concredere Fascem,
Hûic Portæ decuit; fiat ut inde ferax.

IOANNES ANTONIUS Gomołkiewicz Cracov:
In Alma Vniversitate Cracoviensi Philosophiæ Auditor.

NOBILISSIMIS, CLARISSIMIS, SPECTABILIBVS, & Consultissimis Viris ac Dominis, D. PROCONSVLI, CONSVLIBUS Totique Inclyto Cracoviensi SENATVI, REGNI POLONIÆ METROPOLEOS:

Dominis & Mæcenatibus Amplissimis.



Ptima animorum Materfamilias Sapientia, quæ profert de Thesauro suo nova & vetera, Sementem suam hodiè triumphalibus Vestris insert PORTIS. Nobilissimi, Clarissimi, Spectabiles, Domini & Mœcenates Amplissimi. *Nempè fœcundissimus Iagelonum Manipulus dulce eruditis mentibus alimentum præbens, lassatosq; per salebrosos Musarum colles, & Athleticen Virtutis corroborans artus, non potuit tutiùs quàm in hoc Pergamorum Craci Sacrario collocari. Regale hoc germen Regalibus includendum tutandumq;* TVRRIBVS *committi ex asse debuit; vt alimentum Reipublicæ eruditio, per Vos Principis Sarmaticarum Vrbium Amplissimi Proéres conservetur. Quippe cùm Regnorum Præses Iuno, Regia Sceptri decora, Diadema, Fasces, purpuram, & Amplissimi Regni huius Cymelia in expugnabili harum* TVRRIVM *custodiæ & fortitudini commiserit: quidni Pallas Sarmatica à Divo Iagelone, tanquàm Iove suo originem & incrementum sumens, ijsdem illata sumpserit decus & tutamen? Imò non exhorrescit hæc Animorum Sementis vllam tumultuantis aeris tempestatem, non timet sævam turbulento seculo grandinem, non curat fulminum quæ degeneres animos terrent teruntq;, fragores, aut versantis in gyrum cuncta fortunæ turbines, quia Vestræ fortissimæ* TVRRES *vires animumq; ministrant. Illæ illæ sunt, quæ foris & intus Munitissimæ, nec tela, nec ignes perhorrescunt. Illæ, quæ nulli insensissimo hosti tot insultus exerenti, fatalis scopulus & Tarpæium Saxum extitêre. Illæ sunt, quæ obviæ tot armorum strepitu sibillantibus bellici Aeoli furijs, steterunt immobiles, velut Marpesia cautes; vt meritò illis Torquati Tassi Syngraphen affigere liceat: oppugnantia rident. Non vnus ad hanc Portam Annibal, tot Catonum consilijs confusus, tot Scipionum dexteritate pressus, imò repressus, fatalem in Poloniæ fertilibus campis Capuam invenit. Vna hæc centum Thebarum portis Nobilior, quia semper Triumphalis: claudi quidem nescia, nunquam tàmen hostium fraudibus vel insultibus patuit. Clusium & Patultium in se habet: hunc Regibus fidele Numen, illum hostibus fatale. Bonis avibus per Augustos illius Postes & laureata limina, ingrediebantur Vavelli Capitolium Victo-*

res & Invicti, sed tantùm quos vota Civium & amor coronârunt. Externum Victorem non nisi victum de Procerum mandato fidelitate intemerata admisit, adeo; ut Finnicus Prædo hoc vestibulum sacrilego ausu ingressus justam Nemesim senserit, cùm usq; ad atria Ditis expulso exercitu, vix ipse cum paucissimo comitatu rediisset: ita rarò antecedentem scelestum deservit pede pœna claudo. Hæc est mille digna elogijs, intaminatis fulgens honoribus Virtus Vestra, Viri Nobilissimi, quod cùm Alij abiecto fidei Sacramento, Suetico Marti & Hæretico Principi, non plausum modò, sed fidelitatem jurejurando dedissent: vos invictâ fortitudine TVRRIM Vestram & Sacrarium fidelissimi pectoris, Serenissimo Regi Casimiro Totiq; Regno servâstis. Instabat hostis, obstabat Vester juratus erga legitimos Principes candor, adeò; ut furor ille hostilis attonitus, ad heroicam Vestræ Virtutis constantiam mitescere cogeretur. Vnde quid mirum! si vos Annales Sarmatici tantis Regum favoribus ditatos dotatosq; deprædicant: imò si ita Maiestatibus Monarcharum Dilectos, ut concolor Vestimentorum, color Vobis cum Regibus esset; dum pro conservando Illorum solio, inviolatam in TVRRIBVS Vestris fidem servantes, nec ferro, nec igne terreri potueritis. Hoc in Vobis fidelissimum pectus, in medijs pugnantis contra Vos infesti viciniq; Gradivi procellis agnovit VLADISLAVS II, Coronavit LESCVS Niger, admiratus est SIGISMVNDVS III, stupebit posteritas. Quidni ergo Sarmatica Aquila in tanta securitate PORTÆ Triumphalis nidum collocaret? delicias suas in TVRRIBVS Vestris & abundantiam gaudiorum invenit, ideò explicat in plausus alas suas. Hæc armigera, fulminibus imperterrita in Gigantes, ut Tonanti suo eadem ministraret, in TVRRIVM Vestrarum armamentario sedem fixit. Meridiem in septemtrione & augem Virtutis tot Poloniæ Soles in Porta hac explicuêre: quidni ergo Aquilas tantæ lucis speculatrices habuissent? Verùm inter innumeros Virtutum Vestrarum splendores, velut inter ignes Luna Minores elucet Religio, pietas, ingens cultûs Divini zelus, intemerata justitiæ obseruantia, & summa in egenos munificentia. Porrò jactent suam Cecropiam Minervam, & Septena Sapientum oracula Athenæ; Spartha heroicis & ad omne periculi genus infractis pectoribus, Thebæ de voto Sacrorum ritu glorientur, Vestris in animis Encyclopædiam, Virtutum & Sapientiæ Tripodem Orbis veneratur. Testantur Religionem Vestram tot Divorum à Vobis largâ dexterâ ornatissimæ Aræ. Tot Ædes Sacræ opimo censu ditatæ. Tot Nosocomia & Orphanotrophia quæ Vestrâ solicitudine aluntur, curantur, reficiuntur. Ipsum Imperatricis Cælorum Augustal in se ut in Theatro gloriæ. Vestri Devotissimi in Deiparam obsequij Divosq; pietatis Symbola, luce meridianâ clarius demonstrat. Religiosi Numæ tot Votiva anathemata, tot gratitudinis homagia, vectigali obsequio erexistis. Verè dilexistis decorem Domûs Dei, dùm tot impensas in promovendo amplianodq; illius splendore, in comparando, Latenti in SACRAMENTO NVMINI TABERNACVLO & Hierotheca ex puro obryzo affabré constructa aliaq; pretiosissimâ supellectili, fecistis. Senserat ardorem zeli Vestri Sueticus Leo, qui cùm ad Basilicam Augustissimæ Mecalocosmos claustra prærumpere satageret, invenit ex Vobis Alcidas & Cyneas, qui eius furorem invicto animo ore & ære represserunt. Quid aliud SENATVS VESTER INCLYTVS nisi Receptaculum Miserorum asylum pupillorum? quoties ærumnosos iniqua sors, injuriâ affecit mortales, toties apud Vos velut oracula Divinæ Themidos solamen animorum, ex integerrimo judicij edicto recepêre. Renovatur certè in PORTA Vestra Gentilitia, antiquissimi ævi integritas, cùm bilance æquiores Lechæi Aristides, in gravissimo subselij Vestri Areopago justissima edicta promulgatis. Magistratum quispiam Medicum Civitatis appellavit, Vobis hæc prærogativa SENATORES DIGNISSIMI ex asse competit: qui grassante pestilentiæ toxico famisq; tyrannide, infectos Cives enecante, visceribus misericordiæ complexi estis. Verùm quid Tulliani eloquij Majestas TVRRIVM Vestrarum fortitudinem in AVGVSTA PORTA Soli Virtuti patentia adijta & sublimem ad culmen Celeste omnium Virtutum AQVILæ Vestræ volatum, digno apparatu effari & exprimere poterit? Obruit ingenij imbecillitatem tanta rei magnitudo. Quare silentio jam ad TVRRES Vestras Victrices, cum semente mea velut ad Gaditanas Columnas, imbecillis ingenij decempedam figens, sub alis alitum Principis, Grana hæc telluri Palladis injecta, ne à sinistro Hyperione adurantur, spargo, jacioq;. Dabitis VIRI Nobilissimi incrementa favoris Vestri, quæ semper Musa mea, æternitatis Diphterâ connotabit. Interim cum profundissimo cultûs & omnimodæ felicitatis voto, in Sinu gratiæ Vestræ, & Vestibulo Victoriosæ PORTÆ, hanc SEMENTEM protegendam, ac benigno favorum sereno fovendam consigno.

NOBILIVM, CLARISSIMARVM & SPECTABILIVM
Dominationum Vestrarum

Deditissimus Cliens
MICHAEL STANISLAUS REKONSKI
Primæ Laureæ Candidatus.



Vigilantissimo Palladianæ Domûs Patrifamilias

D. JOANNI CANTIO,

Regni Poloniæ, & Vniversitatis Cracoviensis

PATRONO.

Manipulum Iagelonicum Regiâ liberalitate vberrimum, in singulare patrocinium commendat dicatq; Author:

CVM LEMMATE:

Densior florebit arista.



DIVE, Quem nobis bonitate summâ,
Conditor rerum tribuit Patronum,
Et Patrem fecit, Lechicis in oris
Palladis Almæ.

Gratiâ Magnum celebramus omnes,
Vocibus, votis, calamis, IOANNEM:
Stoa plaudenti, Tibi promit jo
Cracia corde.

Hæc Polonorum decus & Magistra,
Artium verè veneranda Mater,
Fertili tellus celebrata messe
Fert tibi grana.

Non quidem cessat Genitrix fovere, &
More culturam renovare prisco
Mentium, donec redeant in orbem
Aurea sêcla. A Heu

Heu tamen fato premitur ſiniſtro,
Improbus noſter labor, & maligno
Sæva tempeſtas, virides in agros
Depluit imbre.
Æmulus liuor, tonat atq; magno
Grandinis, noſtram Cererem ſub ictu
Optat everti, gelidoq; cuncta,
Turbine Verſat.
Perfurit fulmen ſegetesquè adurit
Palladis Noſtræ, quibus Academi
Arva, Lechæos recreare ſvêrunt,
Docta Triones?
Vnicus nobis remanet Maniplûs,
Dextra quem Regis Iagelonis Alma
Vincijt, noſtri vt recreet laboris
Nobile pignus.
Ergo tempeſtas maleſana ceſſet,
Iam ſatis Nobis nivis, atq; diræ
Grandinis miſſum; Pater hêu ſerena
Tempora poſce.
Lux ſit in luco, merituſq; ſplendor
Regijs campis: Craciæ Camænæ
Seminent lauros, maneantq; ſemper
Inde perennes.
Sit procul turbo violentus, & nòn
Evomat contra furias inanes,
Inclytam Matrem; Iagelonis Almi
Regnet ARISTA.
Iamq; Sementis Tibi Patriarcha
Magne procumbit, riguoſq; poſcit
Gratiæ nimbos, dabis incrementa
Optima Cælo.

CLARISSIMIS EXCELLENTISSIMIS & ADMODVM REVERENDIS DOMINIS

D. D. EXAMINATORIBVS.

Clariſ

Clarissimo Excellentissimo & Admodùm Reverendo Domino,

D. M. ALBERTO IODŁOWSKI,

Philosophiæ Doctori & Professori, Collegæ Minori, Canonico SS: Omnium, Curato Dźiecan: ac interea Inclytæ Facultatis Philosophicæ DECANO.

Clarissimo Excellentissimo & Admodùm Reverendo Domino,

D. M. MATTHIÆ BROCKI

Philosophiæ Doctori, Collegæ Majori, Regio Professori, Canonico S. ANNÆ.

CLARISSIMO & EXCELLENTISSIMO DOMINO.

D. M. ALBERTO WOLSKI

Philosophiæ Doctori, Collegæ Minori, Publico Sacrâ Auth: Apost: & O. R. Notario, Astrologiæq; Ordinario Professori.

In Argumentum debitæ gratitudinis & Venerationis, Beatas, Amplissimorum honorum & felicitatum Insulas, pro cultura Animorum Nostrorum centuplo fructu fertilissimas:

CVM LEMMATE:

Centuplâ fruge beantur.

Regale germen, purpureo micans
Splendore laudis; portio quæ Tibi
Debetur oris? quodvè pennæ,
Cæsareum decus & Corona?

Vatis sacrati, nectareum Melos
Hauris: Minervæ mellifluos premis
Linguæ lepores; Florum Ocellus,
Gemmiferis caret Hybla verbis.

His, vt coronet Te pretium stoæ,
At purpuratum delicium Graci,
Quod totus orbis, totus inde
Aonidum stupeat Senatus.

Hinc non Arion pectine Lesbio,
Nec dulcis Orphæus, Threycia lyrâ,
Nec Docta Pallas, Te valebunt,
Castalijs celebrare plectris.

Cùm

Cùm mentis altæ gemmea semina,
Gemmas reposcunt, in pretium sui;
Hæ sunt Togatorum corusca
Lumina, Palladiæq; Mitræ.
Quas pulchra Virtus, & Sapientia,
Felicitatis maxima portio
Parauit illi; vt sit nitore,
Fascibus, Imperioq; digna:
Ac purpurato præsideat throno,
In quo refulgens, Asyrio magis
Triumphat ostro; sicq; semper
Ipsa potens Domina, Ipsa victrix!
Togæ IODŁOWSKI, *purpureæ decus*
Hoc Tu triumphas, per Peripatheas
Victor Cathedras; hoc beatus,
Laurigeriq; Chori Imperator.
Tu dulce Magni delicium Craci,
Tu fons diserti nectaris, Exedræ
Ac germen aureum sacratæ,
Cor Themidis, Canonum voluptas!
Princeps sophorum, gloria Palladis,
jubar Palestræ justinianeæ,
Pulchrâ oris & Cordis Catenâ,
Attonitos animos tenes iam[illegible].
Intaminatæ, splendor adoreæ,
Ab hac per Orbem Te feret aureum
Præclare BROCKI, *qui lepore.*
Dulcifluo, recreas cor omne.
Pro quo mereris diuitis ingenî.
Monile pendens. eloqui[illegible] [illegible]raui,
Imò mereris lumen omne,
Dotibus egregijs coruscans.
Apex honoris cum solio Tibi
Svadella dulcis, nectare melleo
Quæ mulcet internas medullas;
Osq; replet saliente venâ.
Quot Tu virorum maxima Nomina
Tuâ celebras dulcisonâ Cheli!
Fortes perennant en Achilles,
Quos Tua Musa mori vetavit.
Pulcher triumphus stat, Calamus Tuus
Dulces fluores dat Tibi Castalis:
Ergo per altos dignitatum,
Ire gradus Tibi sit decorum.
Ex eruditi dogmate pectoris,
Togata WOLSKI, *laus refluit Tibi,*

Quem

Quem amica Cælo nata Diva
Vraniæ, loquitur per omnes.
Arcana Cæli Numina pandere,
Motusq; nôsti, per numeros benè,
Nexus Sophorum solvis altos,
Ingenio, calamoq; felix.
Nestor Polonis mentibus imperas,
Oris diserti pectora vinciens,
Tu lux Minervæ purpurascens,
Dulce decus columenq; Phæbi.
Tu Cultor æqui, Tu Themidos Sacræ
Edicta scribis, codicibus notans,
Quidquid sacro promulgat ore
Palladij Tripodis Tribunal.
Ergo Beatas, Gemmea Germina
Has cordis, oris, vel calami Insulas
Grato feratis pro labore
Pectore; quas damus ecce vobis.
Æternitatis nomine Conditas,
Vt hæc coronent lucida Nomina,
Vestrosq; consignent honores,
In pretium meriti triumphi.



SEMENTIS
Fæcundissimi Iagelonici Manipuli I. V. D. IOANNI LVKINI Crac: Thessala Tempe, amœnitate & Vbertate, sæculis notissima,

CVM LEMMATE:
Virtutum semina crescent.

A Magnis, humiles unquàm ne prospice partus,
Prominet in natis, semper origo sua.
Thessala delicijs mundo notissima Tempe,
Tetrum nil vnquàm, triste nihilq; ferunt.
Aureus Hesperidum perdives fructibus hortus,
Obryzum purum, nonnisi ferre solet
Scilicet, in fætu respondent semina Patris,
Quæ Tu LVKINI, vera sat esse probas.
In Te, Magnorum clarescunt gesta Parentum,
Ac si Virtutis, Patris imago fores.

Cracia Te excepit cunis, fæcunda Virorum
Patria; nec desunt Nomina Magna Tibi.
Vrbs, Genitore Tuo prudenti Consule læta,
Iudicij magni, Consilijq; Viro.
Indolis eximiæ dedit, hic Tibi Nobile germen,
Dotibus hoc decorat, sat Tua dexteritas.
Ingenio facili, penetras arcana Sophorum,
Dissolvens nodos, Palladis ambiguos.
Flexanimâ gaudes, dulci cum nectare suadâ,
Virtutum multarum, est Tibi mensq; bona.
Magni doctrinâ crescas Prudente SOWINSKI,
Cuius nunc Craci, dextera, Sceptra gerit.
Ergo Viro Tanto, speraris quid nisi Magnus?
A Magno quoniam, lux tua Sole micat.

III. V. D. MARTINO IOANNI WALESZYNSKI

Sardinia Regio, admirandâ ubertate semina reddens.

CVM LEMMATE:

Hæc faciet lætas segetes.

QVi cupit, lauro redimire frontem,
Et suum fastis dare Nomen ambit,
Tædium longum ferat, est necesse,
Ille laboris.
Nòn priùs curas renuat molestas,
Serta quàm frontem decorent Togata:
Fama nòn venit, nisi pertinaci
Parta labore.
Sardius quamvìs celebretur vber
Sulcus, at nunquàm nisi sit rigatus
Imbre sudoris, benè defluentis,
Horrea ditat.
Palladis cultor bone WALESZYNSKI.
Dotibus magnis, segetes feraces
Mentis edoctæ, similes celebri
Sardiniæ fers.
Est tibi promptus genius Sophorum
Expolitus sat, labijs Venustas,
Eloquij torrens, grauitate sermo
Prodit amœna.
Curris ad Musas iter eruditum
Doctus ostendit tibi quod CHMIELOWSKI,
Deditus libris imitaris hunc Tu
Dotibus amplis.
Hinc tuæ cedit meritò capaci
In decus fronti, capitiq; docto
Nexa Musarum manibus Corona,
Laurea Phœbi.

IV. V.

IV. V.D. STANISLAO GOŁĘBIOWSKI.

Semina Agrorum Sicaniæ, vbi Ceres à Pòëtis nata fuisse dicitur.

CVM LEMMATE:

Magnâ Parens frugum Ceres, tibi plaudit.

OPtima Dux Vitæ Sapientia, dignaq; Regnis,
Clara Iovis Soboles, & Numinis Inclyta forma,
Cujus in Augusto fixit sibi pectore sedem,
Illum congeries, cunctorum summa bonorum
Concomitatur: adest opulento copia cornu,
Crœsi divitias fundens, Crassiq; stupendos
Thesauros, quidquid prædives Persia jactat,
India Brasilides, vel quæ loca lambit Hydaspes,
Gemmifer atq; Tagus, dives Pactolus arenis
Auratis, nec non famosi littora Nili,
Et Pana & Segetes, & quidquid Sicula Mater
Producit: totum Sapientis servit honori.
Docte GOŁĘBIOWSKI, quando nunc Inclyta Pallas
Ingenium Viresq; tuas, suspexit in actu,
Expoliendi animi: mentis laudabile pondus.
Cùm tu nodosos solvebas promptus Elenchos
Dum fæcunda Tuo manat de pectore suada,
Et Regina animorum Te Sapientia dignum
Annumerare Sophis voluit; nunc iam tibi servit,
Quidquid in Orbe nitet, iam tellus ipsa Ceresq;
Applaudit Tibi: namq; Viri menti Sapientis,
Quid non applaudit? feliciter ergo triumpha,
Vive Columbini, Candoris Vir bone Vive.

V. V.D. CASIMIRO MVSIAŁOWIC

Ægypti Sementem, Nili Irrigatione Beatam.

CVM LEMMATE:

Et Tibi sedes Fertilitatis.

BEata Messis divitibus venit,
Ægypti in aruis, Niliaco suum
Linquente littus Marginesq;,
Flumine Patritio colonis.
Felix quotannis pondere copia
Culmi resurgit, sic magis & suus
Sulcus triumphat inter arua:
Omnigenâ Cerere & beatur.
Bearis & Tu, munere Nobili
MVSIAŁOWIC cùm largior alluit
Natura Mater teq; adornat,
Ingenio celebri graviq;.
Par inveniris tu Stagyriticis,
Nodis secandis, mens penetrat tua

Abstrusa siderum, docetq́;
Vraniæ Numeros Polares.
Spectatur in te Nestoreus lepor,
Oris diserti Castalijs quoq́;
Vndis, Camænarum Sacerdos,
Tu reficis decus omne Pindi.
Sat ergo felix, germine de Tuo
Messis beabit Te, Iagelonica
Nunc colligens Pallas Togata,
Serta tibi dicat & Corymbos.

VI. V. D. ALBERTO MROZIENSKI.

Apuliam quæ exculta copiosas fruges germinat.

CVM LEMMATE:

Exculta virescit.

FRugibus innumeris completur Apulia tellus,
Pluraq; non sterilis germina ferre solet.
Sed cui scissa priùs nō pinguis vomere gleba,
Sæpius edomiti sensit aratra jugi:
Post hæc culta nitens densis redimitur aristis,
Spem quoque iam Domino, votaque plena facit
Sic quas excoluit, duro certamine mentes,
Et labor & Vires, maxima quæq; ferunt.
Rebus in humanis quoniam nil sorte beata,
Iuppiter è Cælis, absq; labore dedit.
Ex quo gemma simul, pretium quoq; majus inorbe,
Surgere consuevit, famaq; Clara Viro.
Hæc Tibi MROZINSKI, pulchro pro nomine tanto,
Assiduusq; labor curaq; digna fuit.
Ejaage sic pergas, vlli nec cede labori,
Magna dabit sudor præmia, fronte cadens.
Tempora nunc lauro, præcingit Docta Virenti
Pallas, pro meritis jo triumphe cane.
At neq; desistas cæptis conatibus vltra
Te dare, quos Tibi nunc suggeret Alma Parens

II. V. D. MICHAELI STANISLAO RERONSKI,

Primæ Laureæ Candidato, Authori operis

Amplissimum gloriæ Campum, honorum Messem uberrimè germinantem.

CVM LEMMATE:

Surget honorum Nobile germen.

III. V. D. MARTINVS IOANNES WALESZYNSKI,

Ejusdem Laureæ Candidatus in vim fraterni affectûs & gratulatorij applausûs, Offert, dicat, consecratq;.

QVid dicam, quo Te potero celebrare Cothurno,
Quas referam grates, munera quæq; dabo?
Laudibus ornasti quod nos o Docte RERONSKI:
Sit laudis semper portio Magna Tibi.
Tangimus en metam per Te, portumq; secundum,
Campus doctrinæ Teq; beatus habet.
Ex quo iam recipis fructus sudore paratos,
Maturam messem colligis ipse Tibi:
Scilicet eloquij gemmas, roseamq; loquelam
Ore tuo spargis, Tullius atq; manes.
Dotibus exiftis magnis, dum Carmina pandis,
Aonidum melos, Nobile quando sonas,
Hinc Tibi Doctorum PRZEWOSKI *gemma refulgens,*
Extat Patronus: Lumen in orbe Craci.
Ingenium, virtus, Candor, meritiq; labores
In virides laurus, enituêre Tibi
Ergo dùm remanes fæcunda messe beatus,
Dùm doctæ mentis, digna Corona datur.
Vivito Cunctorum decorandus laudibus amplis,
Vivito longæuos, & sine nube dies.





SVB FELICISSIMIS AVSPICIIS

Magnifici, Perillustris, & Admodùm Reverendi Domini

D. M. CHRISTOPHORI

SOWINSKI

S. T. Doctoris & Professoris, Collegæ Majoris, Ecclesiarum Collegiatarum ad S. FLORIANVM Decani, Custodis Pilecensis, Cancellarij Posnaniensis, Curati Prosovicensis, Contubernij Philosophorum & Collegij Vladislaviani Provisoris, Studij Almæ Vniversitatis Crac: Generalis ac Vigilantissimi

RECTORIS.

